



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cursus Theologico-Moralis

Ad usum Tyronum elucubratus, Et in Quotidianis Prælectionibus
Quoad ea, quæ Moralis Theologia disputat De Sacramentis, & Censuris

Viva, Domenico

Patavii, 1723

Art. IV. De Violatione Interdicti, & de Participatione cum Personis
interdictis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40650

dicto, si petatur; aliter Judex erit suspensus per mensem ab ingressu Ecclesiae. Quando ponitur Interdictum ob contumaciam, precedere debet monitio; secus vero si ponatur ob delictum praeteritum: Etenim in cap. *Romana, de sententia excommunicat. in 6.*, ubi fit mentio Excommunicationis, Suspensionis, & Interdicti, de sola excommunicatione dicitur, nunquam ferendam esse sine monitione; atque adeo possunt Suspendio, & Interdictum ferri ob delictum praeteritum. Quando tamen Judex fert Interdictum contra participantes cum Interdictis a se, debet monere ipsos participantes nominatim tribus vicibus, vel una pro tribus; alias erit nullum, ex cap. *Statutum de sententia Excommunicat.*

VI. Quæritur quarto; Quinam possint Interdictum ferre?

Respondeo, omnes illos, qui possunt excommunicare, & suspendere, ut diximus quaest. 3. art. 2.; qui scilicet jurisdictionem habent in foro exteriori, & contentioso sive ordinariam, sive delegatam. Praelati tamen Religionum, quamvis possint ferre Interdictum personale, non tamen locale, ut notant Bonac. punct. 2., Suar. disp. 36., & alii; tum quia eorum jurisdicção magis est in personas, quam in loca; tum etiam quia interdictum locale ab iis ferri non solet; quod signum est, eos illud ferre non posse ex desuetudine; nisi forte in plebem habeant jurisdictionem, ut notant Doctores; Ubi etiam notandum, quod licet excommunicatus, vel suspensus non toleratus valide interdiceri non possit, cum sit privatus omni usu jurisdictionis, toleratus vero possit valide interdiceri; interdictus tamen, quamvis non toleratus, & valide, & licite interdiceri potest, cum per interdictum nec privetur jurisdictione, nec prohibeatur illam exercere.

VII. Quæritur ultimo; Quinam possit interdici?

Respondeo cum communi, interdici posse, excepto Papa, omnes baptizatos rationis compotes subditos Interdicens, non solum ut singulares personæ sunt, sed etiam ut membra Communitatis. Ratio est, quia omnes isti habent Superiorem in foro exteriori, etiam quoad jurisdictionem coactivam; Et in hoc Interdictum differt ab excommunicatione, quæ in communitatem ferri non potest. Interdici etiam possunt directe præter personas loca subjecta jurisdictioni Interdicens, & indirecte loca non subjecta, sed exempta, per Interdictum locale generale; ne Interdictum a Judice positum enervetur. Denique quod est semel interdictum, potest iterum interdici.

VIII. Rogabis; Possitne idem seipsum interdiceri?

Respondeo negative; cum idem non sit sibi met subditus: Verum tamen est, quod in Interdicto locali ipsemet ferens edictum includatur; sicut etiam superior, & æqualis; quia effectus Interdicti instituti sunt a jure communi, a quo illi obligantur: Sicut enim Episcopus, si excommunicet Petrum, tenetur vi juris communis cum illo non communicare; ita si ferat Interdictum locale, tenetur in eo loco Interdictum servare; nisi velit illud aliquando vel simpliciter, vel ad tempus tollere.

ARTICULUS IV.

De Violatione Interdicti, & de Participatione cum Personis interdictis.

- I. Interdicti violatio secundum se est culpa lethalis.
 - II. Etiam laici violando Interdictum in multis casibus lethaliter peccant.
- III.

III. *Quid si laicus missam audiret in loco sacro sine fraude, vi, aut scandalo?*

IV. *Quandonam laici Interdictum violantes excommunicationem incurrant?*

V. *Clerici Interdictum violantes quandonam incurrant irregularitatem?*

VI. *Religiosi non servantes Interdictum quam pœnam incurrant?*

VII. *Laici ne in Divinis quidem tenentur vitare Interdictos nominatim denunciatos: Clerici tamen tenentur eos vitare in iis rebus sacris, a quibus sunt interdicti; quando scilicet Clericis regimen Ecclesie commissum est, ubi Divina officia celebrantur; aut si iis astantibus ea celebrent.*

I. **Q**uæritur primo; Quale peccatum sit Interdictum violare?

Respondeo cum communi apud Con. dub. 3. contra Cajet., esse peccatum mortale, nisi parvitas materiæ, aut inadvertentia excusent. Aliquæ tamen actiones, etiam si parvæ, propter suam dignitatem non dicuntur esse materia parva, ut si quis Sacramentum aliquod administraret, vel solemniter caneret Evangelium, &c. Quare etiam in his casibus mortaliter per Interdicti violationem peccatur.

II. Aliqui numerantur casus, in quibus mortaliter peccant etiam laici violando Interdictum. Primo quidem, si posito Interdicto personali etiam generali se ingerant Divinis; cum hoc directe ipsis prohibeatur; præsertim si violenter se ingerant injuriam Clericis inferendo; aut si cum scandalo violent Interdictum.

Secundo, ut notat Avil. disp. 5. dub. 2. contra Henr., si cum mendacio obtineant facultatem, ut possint Divinis interesse, vel fingendo se esse Clericos, vel privilegiatos, &c. Ratio est,

quia mendacio inducunt Clericos ad faciendum, quod est illicitum; Sicut qui alium induceret ad comedendas carnes die jejunii mentiendo, quod non sit dies jejunii, peccat mortaliter.

Tertio, si inducant Clericos, ut Divina coram se peragant, quod Clericis non licet.

Quarto, si non obtemperent ministris Ecclesiæ volentibus illos excludere a Divinis; nam cum Clerici tenentur sub mortali illos excludere, illi sub mortali tenentur Clericis obedire; aliter daretur bellum justum ex utraque parte.

Ultimo, quando laicus exercet ea officia Divina in loco interdicto, quæ si Clerici exercerent, violarent Interdictum: In quo casu per Judicem Ecclesiasticum puniendi sunt, cum delictum sit Ecclesiasticum, ut notat Avil. loc. cit.

III. Dubium est; Peccetne laicus non interdictus, qui in loco interdicto audit Divina officia sine ulla fraude, vi, aut scandalo?

Respondeo, Cajet., & Navar. putare, quod non peccet, eo quod non prohibetur illi interesse Divinis, sed solum Clericis præcipitur, ut laicos a Divinis excludant: Henr., & alii putant peccare mortaliter, quibus adhæret Suar. disp. 34. sect. 4.: Qui tamen addit, hunc assistendo aliis Divinis officiis, præterquam Sacrificio Missæ, facile excusari posse a mortali ob materiæ levitatem; cum non ita graviter Ecclesia prohibeat dictis officiis interesse; Con. pariter putat, hunc peccare mortaliter suscipiendo Sacramenta sibi prohibita in loco interdicto; cum hæc Sacramentorum participatio sit valde gravis. Avil. tamen loc. cit. cum Sot., Reginald., & aliis media via incedit, dicendo probabilius esse, quod peccet venialiter; quia quamvis præceptum juris non dirigatur ad laicos, sed ad Clericos,

ta-

tamen ipsi faciunt contra virtualement intentionem Ecclesiæ, & Clericorum: Peccat tamen mortaliter, si suscipiat Sacramenta, quia saltem inducit, & cooperatur cum Clerico ad id, quod ipse sine peccato mortali præstare non potest, ut notat Laym. cap. 3.

Quod si laici violent Interdictum personale, etiam si generale, procul dubio peccant mortaliter; sicut violando excommunicationem; Utraque enim censura eodem modo privat Divinis officiis.

IV. Quæritur secundo; Quam poenam incurrant violantes Interdictum?

Respondeo, laicos nullam poenam incurryere ipso facto; cum nulla sit in jure expressa, præterquam in Clement. 2. de *Sententia excommunicat.*, ubi excommunicantur laici cogentes aliquem celebrare Divina officia in loco interdicto, vel vocantes alios interdictos, ut assistant Divinis officiis, aut qui recusant exire, quando a celebrantibus admonentur, aut qui prohibent, ne interdicti exeant, postquam fuerint a celebrantibus admoniti.

Incurritur etiam excommunicatio ab eo, qui aliquem sepelit in loco Sacro interdicto, aut qui personam interdictam sepelit in loco sacro non interdicto. Ubi iterum adverte, solum interdictos denunciatos esse vitandos; Et præterea denunciata aliqua Communitate, singulos illius Communitatis censer denunciatos, ut docent Doctores contra Sã, & Escob. in summ. cap. 4.

V. Clerici vero tam sæculares, quam regulares violantes Interdictum sive personale, sive locale per exercitium Ordinis Sacri incurryunt irregularitatem; etiam quando Interdictum non est censura, sed poena ob delictum præteritum, ex cap. *Is cui*, de *Sententia Excommunicat. in 6.* Dixi, per exercitium Ordinis Sacri, nam viola-

tio Interdicti per exercitium Ordinis minoris non videtur grave peccatum, ut possit proinde irregularitas incurri: Sicut nec si exerceretur Ordo sacer non solemniter, nec ex officio, ut si canatur a Subdiacono *Epistola* sine manipulo, &c. Ita Bonac. Suar. & Avil. Ubi nota, tripliciter posse graviter violari Interdictum a Clerico. Primo, si ipse sit interdictus, & exerceat Ordines majores, verbigratia, conferendo Sacramenta. Secundo, si in loco interdicto ea conferat, etiam si ipse non sit interdictus. Tertio, si Sacramenta conerat personæ interdictæ, etiam si nec ipse, nec locus sit interdictus. In primis duobus casibus incurrit irregularitatem, non vero in tertio, ut probabiliter cenfet Bonac. punct. 7. cum non sit hoc in jure expressum.

Præterea Clerici violantes Interdictum privantur voce activa, & passiva, ex c. cit. *Is cui*, & suspenduntur a jurisdictione, ut notat Avil. dub. 4.; cum suspendantur ab officio, & beneficio, ex cap. *Tanta*, de *Excessibus Pralator.*: immo possunt per sententiam privari etiam beneficiis.

VI. Religiosi vero non servantes Interdictum locale generale, aut cessationem a Divinis, quando servatur ab Ecclesia Cathedrali, seu a Matrice Oppidi, ipso facto sunt excommunicati, etiam si Interdictum sit nullum, ex Clement. 1. de *Sententia excommunicat.*

Demum omnes, etiam exempti, qui scienter celebrant, aut celebrare faciunt Divina officia in loco interdicto, aut excommunicatos, vel interdictos non toleratos ad eadem, vel ad Sacramenta, vel ad sepulturam Ecclesiasticam admittunt, interdicuntur ab ingressu Ecclesiæ, donec satisfaciant ei, cujus sententiam violarunt, ex cap. *Episcoporum*, de *Privilegiis in 6.*

VII. Quare ultimo; In quibusnam teneamur vitare interdictos denunciato?

Respondeo, laicos non teneri vitare interdictos etiam nominatim denunciato nec in humanis, nec in Divinis, præterquam in sepultura. Ita communiter apud Avil. dub. 3. contra Sayr., & alios apud Bonac. putantes, laicum teneri vitare interdictum in Divinis. Ratio communis est, quia id in jure non prohibetur laicis: Quare si Sacerdos admittat hujusmodi interdictos ad missam audiendam, laici non tenentur illos expellere, sicut tenentur expellere excommunicatos non toleratos. Et ratio a priori est, quia sola excommunicatio privat etiam Divinis officiis, in quantum sunt quædam communicatio cum fidelibus. Clerici vero sub mortali tenentur vitare nominatim interdictos in iis rebus sacris, a quibus sunt interdicti. Hoc tamen intelligendum solum de Clericis celebrantibus Divina officia, & de permittentibus illa celebrari, quando illis est commissum regimen talis Ecclesiæ; Etenim in cap. *Non est vobis, de Sponsalib.* dicitur, *Ne celebretis, nec aliquem celebrare permittatis.* Quare si illis non sit commissum regimen Ecclesiæ, non dicuntur permittere, interdictos audire Divina officia, si illos non expellant; quia in tali casu Clerici se habent tamquam laici.

ARTICULUS V.

De Relaxatione, seu Absolutione ab Interdicto.

- I. Non est idem tollere ad tempus, ac suspendere interdictum.*
II. Interdictum latum ad tempus, eo lapsò, sine alia absolutione cessat; latum vero simpliciter, & absolute, sine absolutione non cessat. Nec
Pars VIII.

cessat interdictum locale per destructionem adificiorum illius loci.

III. Interdictum personale generale latum contra Communitatem, hac dissoluta, cessat ligare solum innocentes, non vero eos, qui causam interdicti dederunt.

IV. Interdictum personale particulare non reservatum probabiliter absolvi potest per Confessarium, qui possit absolvere a mortalibus.

V. Tacite reservatur interdictum, si feratur contra personam particularem; aut si hujus causa latum sit interdictum locale, aut generale personale.

VI. Solum interdictum locale generale relaxari non potest ad cautelam. Et nunquam relaxatur interdictum, nisi a Principali delinquente satis factio offeratur.

VII. Non habetur determinata forma, qua tollatur, aut suspendatur interdictum.

VIII. Recensentur celebriores casus, in quibus a jure latum est Interdictum sive Locale, sive Personale.

Notat Avil. part. 5. disp. 4. dub. 4.; non esse idem tollere ad tempus Interdictum, ac illud suspendere: Nam suspendere est manente Interdicto permittere, ne ejus effectus ponantur; quod solus Pontifex auctor juris communis facere potest, non vero inferiores Papa; cum effectus Interdicti sint a jure communi; in quo nemo inferior Papa dispensare potest: At Interdictum ad tempus tollere potest, qui illud tulit; Sicut potest illud tollere simpliciter, aut tollere ad aliquos tantum effectus, puta quantum ad dicendam aliquam missam, vel ad sepeliendum aliquem; ut notat Avil. loc. cit.; eo quod sola excommunicatio habeat suos effectus inseparabiles secundum jus commune,

X Præ: